

IX. **לִּיהוּ אֱלֹהֵינוּ** procul omni dubio Dativus est: At si Latinè verteris, *absconditum Domino*; sensus exurgeret satis horridus, qui omniscientiam DEI impugnaret, quia id alteri absconditum esse dicimus, quod is ignorat: At hebræâ phrasi per ablativum, seu præfixum **ס** effertur, quod latinè per dativum, & ita semper construitur verbum passivum **נסתר** cum subjecto ignorante, vide Esa, XL. 27. **נסתרה דרכי מיהוה** *abscondita est via mea à Domino*, i.e. *Domino*, seu *dominus eam ignorat*. Dativi verò casus in hoc verbo, alius sensus est, quem non infeliciter discimus ex I. Sam. V. 9. **וַיִּסְתְּרוּ לְהֵם עֵפְרָיִם** *occultabantur illis mariscæ*; quæ certè ipsis illis, quorum hic morbus erat, ignotæ non erant, sed occultò locò ægrotis sedebant, nec aliis ita patebant, ut illorum membrorum tumores, qui honestiùs ostenduntur; Qui sensus ergò commodè vertitur per particulam *penes vel apud*. Hinc nunc sensus verborum ille erit: *Hæc abscondita penes Deum*.

X. Ita igitur integræ propositionis sensus verus & genuinus facilè patet, quem eò rectiùs inveniemus, si quidem **וְהָיָה** emphaticum ad præcedentem omnem orationem Mosis se referre, animadvertimus. Nempe concludit ille promissiones morigeris & comminationes protervis factas, hoc epiphonemate: Sunt hæc futuri temporis fata Deo soli cognita; (id enim sibi volunt verba: *abscondita penes Deum*) *sed revelata nobis & filiis nostris in perpetuum*, ut servemus omnia verba legis hujus.

XI. De punctis extraordinariis, quibus voces **לְנוּ וּלְבָנֵינוּ** supernè notatæ sunt, mentionem esse apud Talmudicos in libro *Sanhedrin. cap. 6. fol. 43* & de Añiquitate & auctoritate illorum, aliorumq; similium in scriptura Sacra occurrentium, satis prolixè commentatur Phœnix Hebraistarum *Buxtorffius*, in *Tiberiade s. Commentar. Masoretib. Cap. 17. in primis pag. m. 179*. Docetq; illa non frustra à olim à *Masoretibus* apposita fuisse, sed alicujus arcana priscorum Sapientiæ esse monumenta hinc & *Symbolica* illa appellat, minimeq; ex sacro textu exstirpanda. Rationem illorum hòc locò eam reddit *R. Salomo Jarchi*, quod innuant, neque ob manifesta peccata impunita reum fore populum antequàm transiret jordanem, & susciperet jusjurandum in montibus Garisim & Ebal, mutuoque sese foedere obligaret. Ideò scilicet observatio-

acm

21